



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 32. Aliorum Illustrium Vororum obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

reliquit novum Calendarium Ecclesiasticum, necnon descriptionem miræ Eclypsis in Christi Passione observatæ præter alia opuscula. Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.

## §. XXXII.

*Aliorum Illustrium Virorum obitus.*

**P**ridie ante Pauli IV. Pontificis obitum pariter Laurentius Priulus, seu Priolus, qui ab Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto Venetorum Rempublicam moderabatur, mortuus est, illique Hieronymus ejus frater subrogatus fuit, ex quo etiam genere oriebatur Ludovicus Priulus intimi Cardinalis Poli amicus, qui ab ejus consortio nunquam se divelli patiebatur, ut supra memoravimus. Die quarta Octobris itidem fatis cedebat Hercules Estensis Ferrariæ, Mutinæ, & Regii Dux annos natus quinquaginta, & unum, qui præfuit sedente Paulo IV. Ecclesiasticis copiis, simulque secundum a Rege imperium habebat in Henrici II. exercitu adversus Hispaniæ Regem conscripto: verum is Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo cum eodem Philippo Rege pacem sibi fat proficuum inibat. Hic uxorem ducebat Anno supra millesimum quingentesimo vigesimo septimo die trigesima Julii Renatam de

Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.  
Francia Ludovici XII. Regis Filiam, quæ spuria hæreticorum reformationi plurimum favebat: ex suo autem connubio plures reliquit Filios, atque inter alios Alphonsum Ducis successorem, & Ludovicum Cardinalem præter tres filias. Eodem hoc anno die duodecima Februarii Elector Palatinus, Otho Henricus de Bavaria Ruperti Filius, & Philippi Nepos absque prole decessit, qui olim Friderico II. illius Patruo subrogatus successorem habuit Fridericum III. qui nonnisi admodum remota generis serie ipsum attingebat; Rupertus enim jamjam Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo vivis ereptus erat. Denique Franciscus Otho Luneburgensis Dux die vigesima nona Aprilis tertio Mense post nuptias cum Magdalena Joachimi Marchionis Brandenburgici Filia initas mortalitatem exiit.

## §. XXXIII.

*Cardinales Conclave ingressi.*

*Pallav. n. 2.*  
*Et 3.*  
*Thuan. l. 23.*  
*Rayn. hoc*  
*anno n. 37.*  
Cum interea Romana urbs comperto Pauli IV. obitu tumultibus ferveret, Cardinales sacra comitia nonnisi die quinta Septembris inchoare poterant: postea vero inter ceteros Purpuratos, qui conclave ingrediebantur, etiam Moronus Cardinalis numerabatur, qui quidem